



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.2. Eundem usum in mores nostros meritò revocari posse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

§. 2.

Eundem usum in mores nostros meritò revocari posse.

Potes igitur, mi Lector, ad alendam in te Dominicæ passionis memoriam; sive privatim, & præsertim sub noctem priusquam cubitum concedas; sive etiam publicè, ubi id mos loci permiserit, ut in Religiosis cætibus, laudabilem illam primorum Christianorum religionem æmulari: nec sine ævi posterioris exemplis.

S. Franciscus (ut refert S. Bonaventura) aliquando inventus est, de nocte in silvis orans, extensis in formam crucis manibus, sublatus à terra, & nubeculâ fulgente circumfusus. S. Ludovicus Tolosanus Episcopus, etiam adolescens solebat Passionis Officium expansis brachijs pronuntiare. Venerabilis Maria Raggia ex tertio Ordine S. Dominici, priusquam lectulo se traderet, brachijs itidem ad modum crucis protensis, quinquies Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam recitabat, pro ijs qui in extremo vitæ discrimine versarentur.

Mirabile magis quod de S. Homobono Veronensi cive proditur: qui appropinquante sui transitus horâ, cum in Ecclesiâ Missæ sacrificio interesset, & ante crucem flexis genibus DEO supplicaret; ad hymnum, *Gloria in excelsis DEO*, derepente manibus in terra extensis procubuit, & nemine sentiente, feliciter ad DEUM migravit. Ita Surius in vita.

Denique hoc in genere fidem propè superant, quæ S. Petrus Damiani de S. Dominico Loricato refert, extensis manibus præces prolixissimas & psalteria tota recitante; eodemque, miris & insolitis alijs artibus, CHRISTUM Dominum imitandi studio, corpusculum suum divexante: ut ei meritò vitæ ejus extremâ id elogij idem S. Petrus adscripserit: *Tota hæc vita facta sibi Parasceve crucis: illic autem æternam celebrat gloriam Resurrectionis.*

P

CAPUT III.